

11728,

18

1694

12a

PERSVASORIA
LL^{um} SUMTUA-
RIARUM,
PRÆSIDE

GEORGIO CASPARE
KIRCHMAJERO,

Acad. Senior. Orator. P. P.

Exhibiturus publicè est

In Elector. Acad. Witteberg.

AUDITOR. MAJOR

d. XXXI Maj. Anno M DC XCIV,

JOH. CHRISTOPH. TRESCHERUS,

Glashüttâ-Misnicus.

WITTENBERGÆ, Literis KREUSIGIANIS.

PER-ILLUSTRI ac GENEROSISSIMO
DOMINO,
DOMINO
JOH. HEINRICO
à Schönberg/
TOPARCHÆ in Maren & Gunnersdorff/
&c.
SERENISSIMI ac POTENTISSIMI
ELECTOR. SAXONIÆ
COMITI EMINENTISSIMO,
CONSILIARIO SPLENDIDISSIMO,
Nec non
REDITUUM PROVINCIALIUM
PRÆFECTO GRAVISSIMO
Domino Patrono, Mecænati ac Pro-
motori summo, submissoq; animi adfectu
DEVENERANDO.



PER-ILLUSTRIS AC GENE-
ROSISSIME DOMINE.



Vòd pagellas has, quæ suppri-
mendæ potius videbantur,
Illustri Nomini Tuo dicârim,
fuit mihi, quam allegare haud
immeritò possim, necessitas,
fuit etiam, quod animum ad
id consilium ineundum addi-
dit, meque de exoptatissimò
eventu haud malè sperare jus-
sit. Nam si semper, qui Musis & vitam suam, & o-
mne, quod in eâ teritur tempus, consecrare volunt,
neque tamen ex se, nisi quod natura ipsis concessit,
quicquam opis vident, de eo sunt solliciti, ut sibi Pa-
tronum aliquem comparent, cujus auxilio & fulci-
mento tanquam repentes hederæ altiùs surgere que-
ant;

ant; cui potius quàm mihi eò annitendum est? Quòd
verò ex omnibus *Illustre* potissimùm *Nomen*
Tuum, elegerim, quod submissè venerari, cuique
me meamque fortunam committere audeo, facit
non tantùm *singularis Tuus* erga literas *favor*, sed
etiam promissum à *Te* paupertati meæ patrocini-
um. Atque hoc omninò est, quò consilium meum forsàn
nimis præfidens & audax excusare vel aliquatenus sal-
tem possum. Age igitur, *DOMINE*! & qui pagel-
las has, cumque his se totum *Tibi* supplex offert, cle-
menter suspice, ac gratiâ ulteriori *Tuâ* & favore di-
gnare! Ego quidem omnibus & animi & ingenii vi-
ribus eò allaborabo, ut, quantum conditio mea reci-
pit, *Tuo* me dignum præstare possim patrocinio.
Nec non & precibus assiduis à summo Numine effla-
gitabo, ut *Tuam Per-Illustrem Generos.* in solatium
Clientum, literarum incrementum, Reipubl. emolu-
mentum, atque fulcimentum *Illustris ac Nobilissi-
ma Familia* diu his terris interesse sinat!


T. Per-Illustr. Generos.

Dab. Witteb. d. 31. Maj.

A.R.G. cl. l. c. XCIV.

subjectissimus Cliens

JOH. CHRISTOPH. TRESCHERUS,
Phil. & SS. Theol. Studios.



Perſuaſoria LL. Sumtuariorum.

Quentium per Orbem celeberrimarum, veterum imprimis, Leges Sumtuaras exposituri, usumque ab abusu vindicaturi, veritatem profitebimur, æquumque & benevolum Lectorem exorabimus. Dum enim ulcera tangenda sunt, non succensendum fuerit, severiori tactu vulnerari forsitan interdum cutem. Si ea tamen indoles multorum occupavit animos, ut vitia notari nostra, aut remedia adhibere recusemus; conclamatum cum salute publicâ videtur. Sensus plurimorum expugnavit pestilens venenum, ut nil ferè ampliùs ardeat Germaniæ, nisi quod à gentibus externis, ad pecuniâ emungendos Teutones, excogitatum sit ingeniosâ fraude. O quàm facile fuisset, supervacuis carere, si compescere luxuriam, aut exuere ineptias, & æmulandi stolidum ardorem liceat sufflaminare. Aliunde importatis, sapiùs haud exigente usu aliquo necessitatis, (testimonio sint *Thea, Coffi, & similia*) *Germani* gaudent; eò hodiè degenerantes, ut deliciis ciborum pereant ac potionum. Sunt, qui, nisi manùs balsamo inunctas, & infectos pulvere

A 2

odorato

odorato crines oleant, & nisi cinamomum ructent, Caryophyllonque spirent; nisi

-- Gustus elementa per omnia querant,

Nunquam animo pretiis obstantibus, ----

parum lautè ac honestè pransi videantur. Quasi verò à Naturà derelicti sint, ut ultrà Herculis columnas, Medicinæ aut opsoniorum causâ evagandum sit, & vel ab Insulâ *Taprobana*, vel *Gange* fluvio, aut ab ignoto Nili ortu talia irritamenta gulæ expetenda veniant. Aut veluti in tantâ rerum egestate perdi aliter pecunia non possit, nisi per humani corporis canales egerantur iterum, ab *Antipodibus*, ingenti pretio redempta. Oculis nil facere satis amplius, nisi quod *Italia*, *Gallia*, *Belgium* suppeditabant rarum. Displicere ædes, si non ad magnificas assurgerent structuras *Italorum*, aut ad brevi duraturam *Batavorum* elegantiam non componeretur tessellatum opus. Nec picturæ tantum, sed nec naturale opificium in pretio, nisi ab artifice manu transmarini hominis profectû. Aures harmoniam & modulationē suavissimam fastidire, nisi demulserit easdem *Siren* aliqva *Romana*, aut *Anconianus* spado glotraverit; acroama divinum appellare debuissim, si *Germani Germanæq;* nullo eò aspirare modo quoque possent. Naribus non violæ, non rosæ, aut fragrantia odoratissimi consensus adeò respondent, quàm *Syriæ Arabiæque* balsa; ex ultimis terrarum regionibus advectus moschus, aurantia aut granata mala. Gulæ ministeria quis comprehendat paucis? Mediocritatem omnem superant exquisitissimi paratus ferculorum, ex aromatibus conditis saccharo, pyramides exaggeratæ ac fastigiatae moles in repotiis? Quis ditior nobiliorque pannis, vellere, aut lanificio *Germaniæ* contentus, si vel tolerabili redimere,

im-

impensâ posset, non affectat serica, aut holoserica? Sic investis aliunde, & coemptis pretiô quantôvis, nimum abutitur *Germania* & rerum gerendarum nervos frangit, dissipat & projicit alienigenis. Durus duro nodo cuneus quarendus; irrogandæ multæ; imponenda onera luxuriei; vindicandus generosè ordo est, & modus; ne unicuique liceat, quod libet.

§. II. Quamquam autem positus pro statu privatorum Legibus exempta sit Potestas summa; pulchrum tamen est ac salutare Principi, exemplo Leges confirmare proprio. Rex Regum Regibus præscripsit *Hebræorum* quoque LL. Sumtuarias; quò pertinebat illa: *Ne multiplicet argentum nimum, aut aurum, sibi.* Deut. 17, 17. *Jubetur autem auricupio* (eruditissimi *Schickardi* verba sunt, ex c. 3. de Jure Hebræor. Regio, theorem. XI.) *Rex abstinere, & fortunis necessariis contentus esse. Vetat igitur sollicitum eundem de pecuniâ corradendâ. Non simpliciter quidem auri congregationem damnat; sed privatim sibi solummodò multiplicare; ad fastum, cum dispendio subditorum. Quod Thalmudici Dd. attenderunt; velut R. M. Mikoz: Vox hac innuit, non colligendum, ut relinqvat in thesauris suis; at colligendum, ut expendat pro hospitibus, equitibus, & servis. Quod si enim pecunie aucupia censentur inhonesta in hominibus plebejis, minimè decebit Reges avaritia. A liberalitate exercenda singulari cognomento נריב Principem, beneficum & liberalem nominant Hebræi. Vid. Esai. 31. Lutherus vertit: Fürsten sollen Fürstliche Gedancken haben. Si DEUS es (sic Alexander M. à Legatis Scythicis admonebatur) tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere.*

Curt. l. 7. c. 8. Id enim maximè divinum est; ut inde Sapiens Romanus scripserit in beneficior. 3. 15. *Qui dat beneficia, Deos imitatur.* DEL nomen veteres Latini, *Festi* testimonio, à dando derivarunt: quòd commoda det omnibus hominibus. Ad quem respexit sensum maximus Apostolorum (qui se tamen virum sui nominis, i. e. minimum appellat) *Paulus*, increpans *Athenienses*, *Actor. 17. 25.* *Αὐτὸς διδῶς πᾶσι ζωὴν, καὶ σωτηρίαν, καὶ τὰ πάντα.* Sapienter admodum *Pythagoras* dicebat: *Hec duo divinitus longè pulcherrima hominibus fuisse data, amplecti veritatem, beneficiisque dare operam.* Addebat etiam: *Utrumque cum Deorum immortalium operibus comparari posse.* Ap. *Ælian. Histor. variar. 12. 59.* Quam certatim postea sententiam arripuerunt *Philo* libr. de *Judice. Alexandrin. Clem. in Stromat. 2.* *Damascius* apud *Svidam* in *Ἀγαθότητι & Synes. Epist. 31.* Cùm tria sint videlicet, quæis eminenter Deus omnia excellit, æternitas vitæ, vis immensa potestatis, & perpetua in mortales bonitas: tùm neutrum horum magis, quàm beneficentia elucet. Quod si Reges Principesque Dei in his terris vices sustinent; hòc magis eos bonitas, quæ sui est communicatrix, decet, quòd hanc parte propiùs accedant ad similitudinem illius. nam & immortalitatem ejus, & immensam potestatem frustra æmulari postulent.

§. III. His ita se habentibus, apparet, quantum à divinâ Majestate, & seipsis remotissimè discedant eminentes Principes, si intolerabile exactionum onus fidei subiectis suis (quos appellant vulgò subditos) imponant per magistros avaritiæ; ut magnos, sine usu & necessitate, sumtùs faciant, pecuniam cum sanguine & vitâ miserorum corradentes. Acrior censura quidem displicere
Aulis

Aulis poterat, quam *Philippus Nicolai* fert de Regn. *Christ.*
l. 2. c. 10. Diffiteri interim non possumus, eminens vim
auri argentiq̄ue nimiam coactam à *Salomone*, tantum
etiam paratùs Aulici splendorem, (ne de onerosiore stu-
dio ædificandi tot Palatia, piscinas, hortos, vineasque fa-
ciendi, multò minùs aliquid de Templo Domini adjicia-
tur;) gravamini dedisse ansam, ut deprecarentur Ordines
solenniter *tot flagellari scuticis* 2. Paralip. 10. 4. seqq.
Eventus ipse denique edocuit, per tot alienatas tribùs,
moderaminis divinitus præscripti violatas Leges esse.

§. IV. Lex illa quoque Sumtuaria pro *Hebræo-*
rum Rege lata fuit: *Ne superfluos, ad ostentationem,*
eq̄vos aleret. Deut. 17. Quantoperè offenderit vi-
cissim *Salomo*, *Schickardus* loco antea laudato docuit,
theor. 10. *Alebat enim 40000, curulium eq̄vorum Rex;*
Et adhuc, pro equitibus, 12000. 1. Reg. 4. 25. De *Drome-*
dariis nil memorabimus; nec de quotidiano victu, & con-
viviis lautissimis. Haud enim dubiè ad tot non necessa-
rias impensas conferebat plurimum ex omni penè Orien-
tis angulo adductum frequens Gynæceum, cujus se amo-
ribus emancipabat, usque ad idola, delicatus. Hinc da-
psilium polydædalorum chaos, & severæ Numinis quere-
læ per Prophetas, de *ἀσυνία* Principum sequentium; quòd
comedant (sic exprobrabat Deus) *populum; non secus atq̄*
panem; dum eundem partim vi apertà (qualem Achab
cum Nabotho luserat tragoediam,) fortunis spoliabant
suis; partim fraudibus exhauriebant sensim; ut præidiis
humanæ vitæ necessariis exuti miserè perirent. Ubi sunt
(qui hoc egerunt olim) *perditissimi Sardanapali, Belsazares,*
Caligula, Nerones, Elagabali? Ad classem similis censuræ
liceat spectacula & histrioniam referre. Quibus nisi ad-
lit

fit modus & impensæ conllet ratio, justissimæ in publico querelæ locus est. *Domitianus Imp. edidit assidue spectacula magnifica & sumtuosa; testimonio Svetonii, in Vit. c. 4. Venationes gladiatoresq; generatim & noctibus ad lychnuchos: nec virorum modò pugnas, sed & fœminarum. Sic & Caligula luminibus accensis totâ Urbe ludos edidit nocturnos, luxuriam & prodigalitem. Excessum hunc Chrysostomus notavit in Epistola 2. ad Corinth. c. 9. Homil. 20. An non perspicis, quanta histrionibus ac scortis largiantur alii? Dimidium tantum eorum Christo tribue, quæ illi saltatoribus. Tantum saltem homini fame laboranti tribue, quantum illi ambitione ducti scenicis impertiunt.*

§. V. Sed latas potius privatis LL. sumtuarias spectemus nunc. *Hebræi primùm prodeant in scenam. Judicent, qui altiùs rem penetrant, an, quæ sequuntur, referendæ omnes sint ad solas Reip. Hebrææ ceremonias? Usuris mordacissimis non extorquendos nummos discretissimè prohibuit supremus Legislato. Quidni enim rei sumtuariæ annumeremus hæc? Non fœnerabis fratri tuo, usurâ pecunie, usurâ cibi, usurâ omnis rei. Deuter. 23. 19, 20. Activè ac passivè prohibentur sumtus, qui cum fœnore illicito conjuncti; sive æs, sive res, sive escas denique concernant. In contractu omni, ubi fœnus agitur immodicum, aut hoc in sortem commutatur, (daman unbilligen Zins und Preiß auf die Wahren schläget/) locum prohibitio hæc habet. Teste Tacito Annal. 6, c. 16, creberrima seditioum & discordiarum causa malum fœnebre. Qui ergo LL. sumtuarias in tuto collocare Magistratus vult, sollicitus de hoc imprimis esto. Plura eam in rem, & ex instituto, scripsimus peculiari, habitâ de Fœnore Urciario, disertatione.*

§. VI.

§. VI. *Nec faciendi sumtus in rem sacram ex abominandis.* Graviter hæc interdixit Deus, Deut. 23, 18. *Non induces quæstum meretricium, & canis pretium, in domum Domini.* Lutherus optimè: *Du solt kein Huren-Lohn noch Hund-Geld in das Haus Gottes deines HERRN bringen &c.* De quæstu meretricio lis perorata est; de canis pretio *Vinmariensis* glossa aliter, quàm sensus exigit S. S. *judicavit; quod monemus ἐν παρόδῳ.* Quicunque igitur ablatas furto, malâ fide, inhonestis factis acquisitas res opesque consecrat divinis usibus, abominationi offert. *Sanctus est Jehova; sanctos poscit redditus & fructus.* Sacrificia conjuncta cum defectu, cujuscunque generis existerent, in interdictis numerantur. Pertinet huc etiam, quod ab abominando venit cultu, ad communem propriumvè nunquàm referendum. Deut. 27, 15. *Maledictus sit, qui sculptile confecerit aut conflatile, & posuerit in abscondito, abominationem Domino.* Conf. Deut. 7, 25. 26. *Du solt nicht begehren deß Silbers oder Goldes (von abgöttischen Bildern) das dran ist / oder zu dir nehmen: Denn solches ist dem HERRN deinem GOTT ein Greuel &c.*

§. VII. Multa alia ad LL. referenda Sumtuarias afferri possent, nisi brevitatis placeret magis. *Pro egenis & pauperibus lex fuit Hebraeorum Sumtuaria; Ex. 22, 25. Non mutuaveris argentum pauperi, nec ei fœneraberis; nec detinebis vestimentum ejus, pignori oppositum.* Conf. Levit. 25, 25, seqq. add. Deut. 24, 3. seqq. De vestiaria re loquitur lex Num. 15, 38. de fimbriis vestimentorum appendicibus, divini moniti memorialibus; conf. Deut. 22, 12. Dubito, an satis commodè expresserit hæc versio? *Daß sie ihnen Lâpplein machen an den Fittigen ihrer Kleider.*

B

Aliter

Aliter Rabbinii veteres, & hodierni verpulæ. Sed obiter. Huc quoque pertinet *de non gestandis à muliere vestibus virilibus, & contra interdictum Deut. 22, 5, quæ Deo sunt abominationi. Cap. eod. v. 11. Prohibita textura lini pariter lanæque miscellanea; ibid. Semina miscella agri vineæque verita leguntur. Lex hæc agraria & vestiaria faciendis sumtibus præscripta. Quò spectare illa etiam videtur, de re collectitia in spicilegiis; Deut. 24, 19, 20. Cum messueris messem, & in agro tuo fueris manipuli oblitus, ne revertere ad recipiendum: illud enim peregrino, pupillo, viduoque cedit. Idem, post vindemiam, de racematione in eodem Cap. præcipitur; Lev. v. 20, 21. Quemadmodum de Decimis Levitæ, peregrino, orphano, & viduæ divinitus mandatis, capiendum idem. Deut. 26, 12. Conf. Num. 18, 26. Sed & mercenaria lex accensenda Sumtuariis. De ista sacer Codex c. 24. Deut. v. 15. disertissimè præcepit: Inopi & afflicto mercenario mercedem dabis debitam, ante occasum solis, ne ad me clamet vindicem! Conf. Levit. 19, 13. Jacob. 5, 4. Vide, quàm sollicitum extiterit divinum Numen, pro instituendis ritè sumtibus ac dispensandis.*

§. VIII. Jam ad *Græcos* abituris primò omnium occurrunt laudatissima *Corinthiorum* instituta. Ita de his *Athenæus* disserit ex *Diphilo*, in *Mercatore*:

*Est optimè hîc statutum apud Corinthios,
Si quempiam obsonare semper splendide
Videmus, hunc rogamus, unde vivat? & quid faciat operis?
Si facultates habet, ut reditus harum solvere expensas queat,
Perpetimur illum perfrui bonis suis.
Sin fortè sumtus superat ea, quæ possidet,
Prohibemus huic, ne faciat imposterum.
Ni pareat, jam plectitur mulctâ gravi.*

Sin

*Sin sumtuosè vivit is, qui nihil habet,
Tradunt eum tortoribus. Proh Hercules!
Nec enim licet vitam absque malo ullo deger.
Talem, scias. Sed est necesse, aut noctibus
Abigere prædam, aut fodere muros ædium,
Aut hæc patrantem jungier commercio.
Aut in foro agere sycophantam: aut perfidum
Præbere testem. Nos genus hoc mortalium
Ejicimus hæc ex urbe, velut purgamina.*

§. IX. De Lacedæmonibus Plutarchus scribit in *Lycurgi* vita: Fuit de sumtibus lex lata, quæ præcipiebatur, ut omnis domûs fastigium solummodò securi, fores solâ ferrâ, nullo alio adornarentur instrumento. Hujusmodi domum luxui & sumtuoso apparatus non dare locum statuit. Nec enim quæquam tam ineptum stolidumque esse, ut in domum rudem ac plebejam lectos fultos pedibus argenteis, purpureâ stragulâ, calices aureos luxumque horum importandum ducat comitem; sed necesse esse, ut sufficeret domui culcitra, huic vestis, & supellex comparatur reliqua. *Atheniensium* LL. Sumtuarias uberius, sed sparsim *Meursius* in rebus *Atticis* produxit. Placet, in compendio ex *Gvilielm. Postelli* libro de Republ. Atheniens. c. 34. afferre quædam: *Fori Curatores*, inquit, X. *Athenis* fuere, ἐπιμεληταὶ ἐμπορίᾳ dicti, qui pro tempestatis annoneque ratione de rerum statuebant pretio; ut non vendentium arbitrio, sed justo tandem pretio distraberentur: adhuc ne vitiosas, legitimarum loco, merces exponerent: præterea, ne quis civium plus frumenti viniq; questûs causâ, apud se reponeret, quàm exposcere illius rerum usus videretur. -----

Quæ quotidie supra usum inferrentur, in horrea publica, publico reponi nomine curabant, unde justo pretio, etiam ini-

quissimâ temporum ratione civibus egentibus depromerent.
O instituta saluberrima! quæ in pudorem agere non
Christianos tantum; sed in eis prudentissimos etiam ma-
gistratus possunt. Verbis profitemur Evangelium; vir-
tutem autem ejus, vitæ negligentiam, negamus; quia raris
horreis, pro pauperum necessitate, miseris prospicimus,
fautores monopoliorum.

§. X. Erant & *Episcopi Atheniensibus*, ad quos de-
lectus & negotia provinciarum referebantur; ἀγρονομοί,
Φύλακες & ἑφοροί cognominati. Ad exempla horum, sen-
su tamen alio, *Episcopos Panarios Romani* habuerunt. Ul-
sus voce hæc est in Pandectis, de muner. & honor. L. mu-
nerum, §. *Episcopi*, inquit, *qui præsumt panem & cete-
ris venalibus rebus &c.* Epistolar. 7. ad Atticum Romanus
Consul scribit: *Præsum negotio etiam turbulento. Vult
enim me Pompejus esse, quem tota Campania & maritima
ora habeat Episcopum; ad quem delectus & negotii summa
referatur.* Non hic intempestivè itaque *Episcopum Pa-
narium* spectabimus. Panariorum meminit *Svetonius*, in
Caligula & Domitiani vitâ; *Martialis Panariolum* adhibuit.
Sub Principibus Romanis (velut adhuc hodiè sub Pontifi-
cibus) Paneficium hoc impensius curabatur; quò magis
super eo salus & securitas cum vitâ Imperantium requi-
escere credebatur. In Romano jure frequens mentio
Palatinorum panum fit; qui *gradiles* appellabantur. nam
ad fraudem avertendam omnem non domi à pistoribus,
sed publicè ex gradibus accipiebantur; scribâ aliquo præ-
sente, qui distribuebat tesseras. In nummis ideò antiqvis
pauperes ad accipiendum panem ascendebant gradibus;
qualia cimelia ex auro demonstravit curiosis Eminentissi-
mi *Cardin. Barberini* locuples musæum.

Tantæ

Tantæ molis erat, Roman. pascere gentem!
 Noti ap. *Constantinopolit.* erant *Sitones*, frumenti compa-
 randi curatores, *σιτοφύλακες* custodes scil. frumenti com-
 parandi; *σιτομέτραι*, dispensatores ejus. Super hos *Episco-*
pus, sic dictus ab *ἐπισκοπεῖν*, à superattendendo; qui his
 omnibus præfectus est. De quibus L. 3. ex *Cujacii* inter-
 pretatione agit: *Cum in civitate aliqua frumenti compa-*
randi curatore opus est, ejus creatio fiat arbitrio & electio-
ne Episcopi, & primorum civitatis; & quæ sequuntur. Spe-
culator erat ab inspiciendo igitur Episcopus. Quo sensu
 L. 18. §. 7. ff. de munerib. & honorib. qui pani præerat &
 ceteris rebus venalibus; ut olim *Ædiles Cereales*. Vid.
Chemnit. Exam. Concil. Trident. part. 2. p. 419. add.
Claud. Espenca in 1. Tom. 3. p. 38. seq.

§. XI. Ordo exigit, ut LL. *Romanorum* de re sum-
 tuaria sapienter diversisque latas temporum periodis, si-
 stamus. Unde nomen traxerint, si quæras? ab *Objecto*,
 respondemus. *Sumtuarius* à *sumtu*, & à *sumo* derivatur;
 sicuti à *sumen*, vel à Græco *αισιμόω* sumo; quod non tan-
 tum significat suscipio, *ὀπλαμβάνω*, sed potissimum, im-
 pendo. *Sumen* veriùs ab Ebr. rad. *שׁוּם* pingvis fuit.
 Hinc & *Schindler*o teste, *שׁוּם* & *שׁוּמָה* pingvedinem aut adi-
 pem *sumenque* notat. *Sumtus Ciceroni* tantum non ubi-
 que abundantiam & luxuriam designat; unde *sumtuosus*.
Sumtus dapsilis, effusus, infinitus; res in sumtùs abit; esse
sumtui, consuetæ *Tullio* & *Scriptoribus Romanis* formulæ.
 Inde *sumtuarius*, *δαπανηματικός*, quod pertinet ad *sumtùs*:
sumtuaria lex; quæ lata est de moderandis sumtibus. An
 verò rectiùs scribatur *sumtus*? quàm *sumptus*? *lis Gram-*
maticorum est. In præsens nobis sufficit, quantumvis
 nemini scribamus dicam ideò, antiquos *Codices* & *Lapi-*

des ut plurimum omittere solere P. Sed *emo emptum & emptorem* facit; minus accuratè autem *scribo scriptum & scribtozem*. Tò *sumere* quot accipiatur modis? vid. *Nomius Marcellus* de prop. ferm. cap. 4. ad hoc verb. add. *Turneb.* Adv. 20, 31.

§. XII. Ex *Livio, Cicerone, Tacito, Agellio, Pomp, Festo* atque aliis Scriptoribus Romanis Sumtuarias afferre Leges fusiùs possemus; sed litandum brevitati est, & ad epitomen *Rosini* relegandus Lector, qui 8. Antiq. Rom. 13. recenset eas in compendio. Lex *Orchia* à C. *Orchio* Tr. pl. de sententiâ Senatûs lata, anno tertio, quàm *Cato* fuerat; *Macrobio* referente, præscribebat *convivarum numerum; ne plures unà vocarentur ad convivium*, quàm Lex permiserat. Hùc lectio facit *Stuckii* in antiq. conviv. Lex *Faunia* secuta, lata, ex *Agellii* opinione, A. U. C. 1599. quæ Romanis ludis, Saturnalibus item ac plebejis, *singulos in dies centenos aris* (confer hùc *Gronov.* libr. 3. de pecun. vet. c. 6. qui exposuit centenos hos, & latam legem judicat A. U. DXCII.) *insumi concesserat, decemquè aliis diebus, in singulis mensibus tricenos: ceteris autem omnibus diebus, denos.* Res eò tùm redierat, ut ingenui illecti gulâ pueri plerique pudicitiam & libertatem suam venditarent; plurimique è Romanâ plebe, vino madidi venirent in Comitium, & de Reip. consulerent salute; ut *Sammonicus Severus* refert. Octennio aut decennio pòst Lex *Fauniam* excepit *Didia*. Ferundæ ejus causa duplex. Prima & potissima, ut *Italia universa teneretur lege sumtuariâ, nec sola Urbs.* Post *Didiam Licinia* Lex lata est à P. *Licinio Crasso Divite*. Illius summa fuit: *ut in Kalendis Nonis, Nundinis Romanis, in dies singulos cuiq; XXX. duntaxat asses, edundi gratiâ, consumere liceret: ceteris diebus, qui excepti*

excepti non essent, ne apponerentur amplius, quàm pondo tria
carnis arida, & pondo salsamentorum. Ab hac lege cen-
tenarias vocabant cœnas. Sequebatur annis post non
ita multis, Lex *Cornelia*; quam *L. Cornelius Sulla* dictita-
bat; quâ non quidem gulæ modus factus, nec magnificen-
tia prohibita conviviorum, sed *minora rebus pretia impo-
sita*. Hinc luxur publicus grasfari cœpit in immensum.
Consule *M. Æm. Lepido* cibaria lex ferebatur, (*Cato* quip-
pe sumtuarias cibarias appellat,) quâ ciborum genus mo-
dumq; memorat *Agellius præscriptum*. Paucis interjectis
annis, *Antio ferente Restione* Lex ad populum pervenit, ut,
qui *Magistratus foret, Magistratumq; capturus esset, ne quod
ad cœnam, nisi ad certas personas, nec promiscuè itaret.*
quæ, cû quidē esse optima, luxuriæ obstabat tamē obstinatio.
Lex *Julia*, *Augusto Imperante*, publicata, quâ *profestis* (testi-
monio *Macrobii*) *diebus ducentis finiuntur: Kalendis, Idibus,
Nonis, & aliis quibusdam festis, trecentis: nuptiis & repo-
titiis HS millies.* Conf. hûc *Gronov. de pec. vet. l. 3. ubi
signum & valorem explicat.* Lex *Oppia* meretur maximè
notari; quæ de *Matronarum cultu, mundog; muliebri lata
est à C. Oppio, Trib. pl. Q. Fab. Max. & T. Sempr. Graccho
Coss. II. in medio ardore belli Punico II. Nequa mulier
plus semunciâ haberet auri: non vestimento versicolore ute-
retur, neu vehiculo juncto in Urbe oppidove, aut propius in-
de, mille passûs, nisi sacrorum publicorum causâ, veheretur.*
Imperator Tacitus, Vopisco in illius vitâ referente, amplius
processit, togis tunicisque usus iis, quibus & privatus.
Uxorem gemmis uti non est passus: auro vestibus clava-
tis interdixit. Longum foret, plura mittere in literas &
exempla. O instituta prudentissima! cûm Regis ad exem-
plum totus componitur orbis!

§. XIII.

§. XIII. Pertinent hūc LL. etiam *Censoria*, propter sumtūs ceteris adjectæ. Aliqvot fragmenta harum *Barnab, Brissonius* II. formul. p. 150. seq. & libr. VI. p. 520. seq. attulit. Sed & *Imperatoria*, imprimis *C. Cæsaris & Augusti*; quarum neminit *Svetonius* in utriusque vitâ. Sumtuariam de adulteriis, de pudicitia, de ambitu, de ordinibus maritandis sapienter promulgaverat *Augustus*. Sumtūs funerum *Decemviri* jam olim coërcuerunt, ex *Solonis* lege minuendos; & hoc amplius interdixerunt: *Ne facito rogam asciâ, ne polito!* Lex XII. Tabb. scil. volebat, ut ex incompositis impolitisque lignis, sine artificio congestis, rogas fieret; sine asciâ & dolabrâ fabrorum. Tribus insuper riciniis & vinculis purpuræ, decemque tibicinibus extenuatus sumtus funeris ab illis fuit. Vollerunt etenim, si *Ciceroni* credimus, *Decemviri*: *Ut tribus mortui riciniis efferrentur.* *Rico* (unde dicitur *ricinium*, virilis toga) *Festo* erat vestimentum purpureum, quadratum, fimbriatum. Hæc ricinia licebat unâ cum cadavere cremare, teste *Livio* Hist. 34. Nec enim erat infreqvens; ut, quicquid in deliciis habuerat defunctus, etiamsi foret pretiosius, in ignem mitteretur cum defuncto. Lex ergo, sumtibus tantoperè excrecentibus, ad certum aliquem restrinxit modum; sicuti & jure postea civili diligenter cautum legimus, ut pro defuncti dignitate facultatibusque sumtus fierent: item ne ornamenta cum corporibus condantur. Leg. si quis 12 § 3. L. 14. § 5. ff. de relig. & sumtibus fun. Hinc cum immenso numero tibicinum onerarentur funera, *Decemviri* non plures X. concesserunt. Quò respexit in *Fastor.* VI. *Ovidius*. Vid. ad *Guidon, Pancirol. Salmuth* part. I. deperdit. p. 726. seq. De coërcendis sumtibus funebrib. ad *Tacit.* de *Germ.* moribus qv. 140. seq. rem eleganter *Berneggerus* edisseruit.

§. XIV. Consilium *Sallustianum* C. *Julio Cas. suppe-*
ditatum de Rep. ordinand. Epistolâ utrâque minimè præ-
tereundum, quò in universum ei svasit, ut licentiam sum-
tuum dempturus, finem illis statuât. Ita *luxus opum popu-*
lator amputabitur, superbiâq; alimentum, & vitabitur aris
alieni (ponûera verborum!) *magnitudo: onera reddentur*
leviora publica, & res locupletabitur familiaris. Verun-
tamen exemplo ipsi debent esse imperantes.
Frustra sæpiùs externa adhibetur medicina; nili intus, ubi
sedes & principium mali est, cupiditatibus profusis impe-
retur. *Qualis Rex, ut primum mobile, talis grex, & sphaera*
reliqua. Animi inprimis magnitudinem addendo, non de-
mendo svasit *Crispus: cum beatius sit dare, quàm accipere.*
Epistola posteriori *demere pecunia auctoritatem iussit.*
Quandoquidem *ubi divitiæ habentur clara, ibi vilia sunt*
omnia, fides, probitas, pudor, pudicitia. Gloria virtute ali-
tur industriâque: *eam ubi demseris, ipsa per se virtus amara*
est & aspera. Hæc Romanus, de re sumtuariâ, Senator. Plu-
ra qui huc volet, consulat *Trajani Boccalini* observat. supra
3. *Annal. Taciti,* Italicâ expressas lingvâ, & eò *Ludovic. du*
May, in *Bilancia Polit.* p. 247. edit. *Castellan.*

§. XV. Dictum aliquid de *C. Cesare* ac *Augusto*; nec
id omne tamen. Autor est *Svetonius* in illius vitâ, c. 43.
Lecticarum usum & conchyliatæ vestis, & margaritarum,
nisi certis personis, & atatibus, per dies certos, ipsum arcu-
isse; legemq; sumtuariam præcipuè exercuisse. Civium or-
dines prudenter vestibus discriminavit; ut, qui meritis ac
dignitatibus antistant, cultu etiam ab aliis discernentur.
Sub *Tiberio* jam in licentiam abibat seculi luxuriantis ge-
nius. Hinc *C. Bibulo* incipiente, cæteri ædiles differue-
rant, prodente *Tacito:* (*Annal.* 3, 52, 3, seqq.) *legem sperni*
C sum-

sumtuariam &c. *Tiberius*, apud se sæpè pensitato, an *libidines* coërceri possent tam profusa? num coërcitio plus damni in *Republ.* ferret? quàm indecorum, quod non obtineretur? postremo *litteras* composuit ad *Senatum*: se nescire, an *svasurus* fuerit *adilibus*, omittere potiùs adulta & prevalida vitia, quàm hoc assequi, ut palàm fieret, quibus impares flagitiis essemus? Interest videlicet prudentiæ *Legislatoriæ*, rem rectè ponderare priùs, an *lex sumtuaria* induci possit? & *servari* debeat? Qui enim *LL.* figit, ut refigat mox, vilescit imperans. Was entsteht vor Ehre hievon/wenn niemand/als 4. Nägel an der Wand die publicirte Kleider-Ordnung halten? Utinam *censura morum* revivisceret antiqua! neque tot sepultæ *LL.* bono publico sancitæ, verterentur in *libidinem*, *luxuriam*, *pravasque voluptates*! Principum affectant cultum *Nobiles* haud pauci, & *Nobilium* conditionem homines *plebeji*. Non ferendum cacoëthes, ut ad *lixas* & *cerdones byssus* veniat & *jus annulorum aureorum*. Vestis alia *Illustrem*, alia *opificem*, alia *Ecclesiasticum*, *Civilem*, *Nobilem*, *militem*, *dromonem* decet.

§. XVI. Severè *Alexander* ipsemet *Severus* Imperator (ut *Fulgosius* testatur l. 4. c. 1.) cum admirarentur *Cæsarem* amictu viliori uti: *Imperatoriam*, respondit, *Majestatem virtutibus, non cultu corporis, constare*. Imperatores *Theodosius*, *Arcadius*, *Honorius*, & similes, tam *foeminis*, quàm *Viris*, magnæ etiam dignationis, *sericarum* usu vestiũ & *purpuræ* interdixerunt; ut ex *Constitutione* liquet, *pœnâ* mortis & *bonorum publicationis* in *venditores* pariter sancitâ l. 5. C. quæ res venire non possint. Conf. L. 2. 3. & 4. C. de vest. Holof. & aurat. libr. 10. Galliarum olim Rex, *Philippus Pulcher* varias firmavit *LL.* *vestiarias*, interque eas: *Ne quis vestes sericas gestaret, tantum uteretur laneâ, cujus ulna.*

non

non excederet valorem solidorum quing, & XX. Ne quid de Henrici IV. severissimo edicto memorem, (quo byssini & serici vendendi facultatem, intra Regni Gallicani limites prohibuit) utramq; facit paginam præclara sanctio Imperatoris CAROLI V. quâ in Germaniâ & Belgio sericarum usum vestium, non nisi certis, censûs ac bonorum ratione habitâ, personis, Curtii Jacobi testimonio, permisit. Libr. 2. *Einwasöv*, c. 11.

§. XVII. Si quis theoriam copiamq; LL. Sumptuariarum, & per omne genus opificiorum, artium, scientiarum, ordinem insignem spectet, nulla facile provincia *Saxoniam Electoralem* superabit, testimonio *Saxonicarum Constitutionum Corpus novum* (ut jam Anno 1660. audire cœpit) est. Nil vasto hoc volumine aut locupletius, aut elegantius, aut distinctius (in *Policey-Justitien - Kirchen - Consistorial - Cammer - und Berg - Sachen*) potuit elaborari. Tot provinciales Electorum ordinationes, taxationes, moderationes, æstimationes monetariæ, & decisiones, quot in operib9 vix multis. Quibus si accedat executio ac LL. observantia, nil absolutiq; sperari posset. Ipsa sæpè sibi, ut in Corpore civili, multitudo obstat. A communi regula exceptiones nocent. Idem *Titio* quod *Cajo* respondere debet. Sed nos id non agimus; speramus meliora; & optamus, ut, quæ separatim extant alia statuta, huic inferantur *Cornucopiæ*, ac observentur.

§. XVIII. De fraudum errorumq; apud Medicamentarios, Pharmacopoeos, ac seplasiarios, (non nisi Eucliones intelligimus, de bonis judicantes meli9) scripserunt ex professo Viri sapientiâ & autoritate summi, ne quid de *Simonis Pauli*, Archiatri Regii sententia in Botanico *Quadripartito* hic adjiciamus, *Thomas Bartholinus*, *D. Ludovici*, & *Job. Antonius Lodettus*, *Bergomas*: ex illis salutaria rebus publicis consilia hauriri possunt; ne pro lubitu cujusq; pretia excrescant in immensum, inutiliaq; terræ pondera ejiciantur officinis, crebrâ visitatione. Academia & Collegii Medici vigilantia *Wittenbergensis* nunc in eo tandem occupatur, ut Senatûs oppidani etiam accessione, confirmatio Electoralis roboret taxationem medicaminum & salutarem formulam: Als haben wir denselben (Tax) zu dem Ende nachgefüget / in öffentlichen Druck verfertigen lassen / und wollen / daß

Daß hinfüro leihiger und künfftiger Apothecker/ wer der auch seyn wird/ nach diesem Tax sich allerdings richte und verhalte/ auch biß auf andere Verordnung/ davon im geringsten nicht abweiche/ bey Vermendung der ihm dessentwegen von uns angedeuteten Straffe/ so/nach Befindung/alsobald abgefodert werden soll &c.

§. XIX. Cùmq; Reipubl. interfit, ne quis malè re utatur suà, juxta illud; operæ fortassis esset pretium, monere, coërcere prodigos pecuniæ, in operationes Chrysopejæ deceptorias non necessarias. Absit, ut damnemus usum artis Chymicæ, Naturæ tot miracula, in componendis, separandis, maturandis, exaltandis, sublimandis mineralibus, metallis, plantis, succis, animalibus, ad humanæ vitæ publicam salutem pertinentia; distingvimus duntaxat usum ab abusu, veritatem atqve possibilitatem à fallaciis, absurdis, & præstigiis. Quot quæso horum sunt, qui facultates integras, amplissimas, cùm famâ, fide, vitâ, propter opinionem stolidam Universalis Medicinæ, aut Philosophorum Lapidis, dilapidârunt, decoxerunt, & ad medium fregerunt Janum? Laudatissimo Anglorum more, nemo, ad hos sumtûs faciendos tantos, temerè admitti unus sycophanta & sophista debet, nisi prævio examine tentatus aliquoties, ac deprehensus artifex.

§. XX, Dicenda superessent plurima, de moderandis sumtib9, aut prohibendis nimis eorum, qui argentum, aurum, mille modis distrahunt ac tenuant in filamenta, ornamenta, bracteas, & instrumenta luxûs perditissimi mechanicorum; v. g. Durch Bordüren/Posementen/ Spitzen/Gold und Silber Sticken/ drathziehen/ vergolden/ verquicken/ zeugweben/ verbrâhmen/ verspinnen/ schmîren/ goldschlagen/ fleppeln und dergleichen. At enim de his tot publicata jam tum scripta & judicia in vulgus prostant, ut abuti tempore videremur nostro ac labore, siquid hîc adjiciamus ampliùs. Nec illud tangimus, quod ad supremi Magistratûs sapientiam ac potestatem pertinet, ut fibulæ injiciantur, & superbiæ tormenta, mulctæ, pœnæ, indignationes, hominum vilissimorum, & ex plebe, famulatio, opificumqve sorte, tot excessibus. O Fiat! fiat!


T. ⊖. Δ.

ULB Halle 3
005 361 702



VD 17







11728,

18

1694

2a

PERSVASORIA
LL^{um} SUMTUA-
RIARUM,
PRÆSIDE
GEORGIO CASPARE
KIRCHMAJERO,
Acad. Senior. Orator. P. P.
Exhibiturus publicè est
In Elector. Acad. Witteberg.
AUDITOR. MAJOR.
d. XXXI Maj. Anno M DC XCIV,
JOH. CHRISTOPH. TRESCHERUS,
Glashüttâ-Misnicus.

WITTENBERGÆ, Literis KREUSIGIANIS,

